



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 3. Prima Congregatio pro examinandis quæstionibus circa Sacrificium  
Missæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sænl. XVI. hauriri valeat. His quoque addebat  
A.C. 1562. quod Lotharingium Cardinalem duo-  
 decim celebriores Parisinæ Facultatis  
 Doctores comitaturi essent. Attamen  
 Lanfacus ea, quæ ipsi a Regina fuere  
 injuncta, nonnisi Mense Augusto propo-  
 nebat.

## §. III.

*Prima Congregatio pro examinandis  
 quæstionibus circa Sacrificium  
 Missæ.*

Pallav. l. 23. O.I. n. 1. Interea examinandis quæstionibus re-  
 liquum tempus in Congregationibus  
 impendebatur, atque die vigesima pri-  
 ma Julii hæc in rem convocabantur  
 Theologi: intererant quoque huic Pa-  
 trum confessui Synodi Præsides Car-  
 dinalis Madrutius, Cæsaris, Franciæ Re-  
 gis, & Venetorum Oratores, unacum  
 centum quinquaginta septem Præsuli-  
 bus, ac circiter centum Theologis præ-  
 ter duo aliorum hominum millia: reli-  
 qui tamen conventus postea numero  
 haud adeo frequentes erant: Itaque  
 omnium Theologorum sententia eo ab-  
 iibat, ut Missa habenda esset pro vero  
 novi Testamenti Sacrificio, in quo Chri-  
 stus Dominus sub Sacramenti speciebus  
 offertur, hancque veritatem præcipue  
 his comprobabant rationibus: Christus  
 Domi-



Dominus est Sacerdos secundum ordi- Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.  
nem Melchisedech, qui panem, & vinum  
obtulit: necesse igitur est, ut hujus divi-  
ni Hominis Sacerdotium complectatur  
Sacrificium panis, & vini: quam in-  
rem allegabatur etiam Prophetæ Mala-  
chiæ textus, ubi dicitur: *munus non su-  
scipiam de manu vestra (Judæorum), ab  
ortu enim solis usque ad occasum magnum  
est nomen meum in gentibus, & in omni  
loco sacrificatur, & offertur nomini meo  
oblatio munda*, quæ verba non nisi de  
Eucharistia, in qua Deo ab omnibus Gen-  
tibus sacrificatur, intelligi possunt: ex  
novo autem Testamento defumebatur  
argumentum ex S. Joannis textu, ubi  
Christus Dominus ad mulierem Sama-  
ritanam dixit, *venit hora, in qua Pater  
in Spiritu, & veritate est adorandus: ubi  
verbum adorare idem significat, ac sa-  
crificare*, prout ex pluribus sacræ Scri-  
pturæ locis comprobatum redditur: in-  
terrogabat autem Samaritana Christum  
circa Sacrificium, quod a Judæis offer-  
ri non poterat, nisi Hierosolymis, & a  
Samaritanis offerebatur in Garizim, u-  
bi tum Christus Dei Filius versabatur.

Hic ergo textus necessario intelli-  
gendus venit de externa publica, & so-  
lemni adoratione, quæ nullibi magis,  
quam per Eucharistiam fit.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

§. IV.

*Lusitani Theologi argumenta.*

Equidem Franciscus Forerus Lusitanus Theologus, & Ordinis Sancti Dominici alumnus haud inficiabatur, ex sacris literis comprobari posse, quod Missa sit Sacrificium, a communibus tamen argumentis recedebat, explicans alio modo illas rationes, quæ ex Sacrificio Melchisedechi, necnon ex illis Prophetæ Malachiæ verbis a Divo Paulo allegatis hauriuntur: *Munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

*Malach. I.  
v. II. & 12.*

Insuper idem Theologus propugnabat, quod illud Christi Domini effatum ad Apostolos in ultima cœna, ut inde valida traheretur consecutio, nequaquam ad literam accipiatur, sed intelligatur juxta unanimem interpretationem Sanctorum Patrum, qui, ut inquebat ipse, illud hac ratione intelligunt, nec tamen affirmant, illud esse fidei dogma: ceteri vero Lusitani, cum hanc interpretationem a Synodi Patribus ægerrime ferri animadverterent, suæ Nationis honorem reparare solliciti communem sacræ Scripturæ, ac textuum allegatorum explicationem confirmabant,

*Pall. I. 18. c. 1.  
n. 4. & 5.*